

De Substantia.

109

que competit, quæ acceptio huius loci non est; interdum verò accidenti prædicamentali opponitur, ut h. l.

2. Substantia, prout hic spectatur, est ens, quod non est in aliò tanquam in subiecto. *Arist. l. 1. catateg. c. 5. §. 12.*

3. Dicitur 1. ens: hoc enim commune est substantiæ & accidentibus, non quidem, ut univocum, sed ut commune *περὶ ἐν ἡ ἀφ' ἐνός.* *Arist. l. 2. Met. c. 2. & alibi.*

4. Dicitur 2. quod non est in aliò tanquam in subiecto: ut distinguatur substantia ab accidentibus, quæ sunt tantum in subiecto, ut sine subiecto esse nullò modò possint.

5. Hæc ut fiant clariora, explicandum, quid sit esse in subiecto; hoc explicat Aristoteles *lib. categ. c. 2. §. 2.* his verbis. *ἐν υποκειμένῳ ἢ λέγω, ὃ ἐν ἑνὶ μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὸ ἐν ᾧ ἔστιν.* h. e. In subiecto esse dico, quod in aliquo est non ut pars, nec sine eò, in quò est, esse potest.

6. Dicitur 1. id quod in subiecto est, esse ἐν ἑνὶ in aliquo, scil. uno, non in pluribus: unde cum totum dicitur esse & consistere in suis partibus, non est in illis tanquam in subiecto, quia in illis non est ὡς ἐν ἑνὶ in aliquo sed ὡς ἐν ἑσσι, ut in aliquibus, seu pluribus.

7 Pe